Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.

Wien, 1800 Seite 1187

Quelle:
Copyright:



nico exarati, in quibus deprehenditur סליק ספר קיטת, et novum Initium: דברי קהלת כל מקום &c. על דברי

CCCCXCVIII.

U. 302 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 339. f. per duas columnas luculente exaratus, rubricis notatus, et, ut loquitur frons, *inter viuos* Collegio Ducali *Wienne* cum 17. aliis donatus a *M. Andrea de Weytra* jam alias memorato continet idem *Scriptum Quartum*, monente tamen Titulo: *vsque ad materiam de matrimonio.* Itaque cum *Dist.* XXV. terminatur Codex, cujus finem facit *Expositio Textus*, quam, ut solet, Quaestionibus praeposuit Editor *T. cit.* p. 450. *Neque ex his aliquem in clericatus honorem subrogari* &c. Adjecta est Distinctionum et Quaestionum Tabula.

CCCCXCIX.

U. 422 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 147. f. per duas columnas sat nitide, sed multis vocum compendiis, ut Scholasticorum mos, scriptus et rubricis enotatus, olimque a *Thoma de Haselbach* Ducali Collegio legatus, est, ut e calce adsumo, *Liber tercius fratris thome ordinis predicatorum*, id est, *Scriptum* ejus *in Librum III. Sententiarum Petri Lombardi*, cujus ingressus: *Ad locum unde exeunt flumina reuertuntur, ut iterum fluant. Eccl. 1. Ex verbis istis duo possumus accipere* &c. et finis: *quibus ad uitam peruenitur eternam* (deest in Edit.) *in qua* (Ed. cum Christo) *uiuamus per omnia secula seculorum. Amen.* Accedit *Distinctionum* et *Quaestionum* Tabula. In Edit. *Paris.* 1660. Commentaria haec T. IX. f. constituunt.

Ad convestiendum utrinque Codicem adhibita est membrana cujusdam Collectionis J. Can. eleganter exarata, in qua occurrunt Rubricae *De emunitate ecclesie cimiterii rerum ecclesiasticarum. Ne clerici uel monachi secularibus negotiis se immisceant. De clandestina desponsatione. De sponsa duorum* cum Glossa marginum.

D.

U. 423 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 156. f. pariter per duas columnas sed luculentius exaratus, coloribus distinctus, et eidem Collegio donatus a *M. Nicolao de Dünkelspühl*, idem *Scriptum* continet, in cujus fine habetur *uitam eternam*, et *cum Christo.* Subjuncta est etiam Tabula. In litera capitali A Miniator ignorans *Thomam* veste Ordinis Minor. induit.

DI.

U. 436 Codex membraneus lat. Sec. XIII. exeuntis, Folior. 167. f. per duas columnas nitide, non una tamen manu exaratus, coloribus distinctus, et a celebri nostro T. D. *Nicolao de Dinkelspuchel* Collegio Ducali legatus exhibet *Bonaven-*